



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo**

**Bynaeus, Anthony**

**Dordraci, 1682**

Locus Ezech. 24. 17.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12835**

comparatione: nam sitim intelligit libidinem. Guttur quid sit intelliges ex Prov. 30. 16. 20. Pedes saepe pro pudendis poni est verissimum. Sed cum verbum πτ̄ propriè notet discalceatum, pes pro pudendo hic sumi nequit. Pariter huc non quadrat, quod de siti & gutture monet.

VII. Observatum quoque fuisse apud veteres Hebræos, ut qui mortuum lugerent incederent nudipedes, jam dudum, præter Flacium Illyricum, complures viri eruditissimi ex loco apud Ezechiel insigni collegerunt, ubi Prophetæ à Numine jubetur contra morem in uxoris funere cuncta retinere lætitiae signa. Verba Dei sunt: *Fili hominis, ecce ego eripiam tibi desiderium oculorum tuorum per plagam, tu tamen non planges, neque flebis, neque ullas lacrymas emittes, Clamare desiste, non facies luctum funebrem, tiaram tuam alliga tibi, Et calceos tuos pone in pedibus tuis, Et ne obnubas mystacem, Et panem hominum ne comederas. Fuerunt hæc omnia illis temporibus luctus indicia. Nam & plangebant, flabant,*

Illyr. clavi  
Script. p. 1.

Ezech. 24.  
16. 17.

bant, lessum faciebant funebrem, nudabant caput, vel obvolvebant, deponebant calceos, obnubebant mystacem, & panem comedebant ab aliis allatum. Hæc Prophétam vetat Deus. Quod Judæi cum tanquam insolens, & à vulgatis moribus alienum mirarentur, prædicti futurum, ut ipsi quoque, liberis gladio sublatis, idem facerent, quod ab ipso fieri videbant, nec ullum luctus ederent signum. Unde manifestum est in mortuorum luctu olim inter Hebraeos eum morem fuisse, ut calceos exuerent, quod in lætitia secus fiebat.

Maim. in  
Ebel. c. 5.  
§. 1.

VIII. Meminit hujus ritus omnium Rabbinorum doctissimus Moses Ben Maimon, qui titulo peculiari, quem **לְבָנָה** de luctu inscripsit, omnia quæ ad luctum pertinent, egregie recenset: *Illæ sunt res, inquit, quæ lugenti prohibentur, die quidem primo ex sententia Legis, diebus autem reliquis ex traditione majorum, nimirum zondari, lavare vestes, balneo corpus recreare, ungi oleo, cum uxore consuescere, calceos induere, facere negotium, legere*